

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1536

Autre(s) référence(s) : Fauroux 92 / Tabuteau 174 / ARTEM 4744

Auteur(s) : Richard, Évreux (comte)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1038

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume duc de Normandie souscrit la charte par laquelle Richard, comte d'Évreux, fils de Robert archevêque de Rouen, fait don à l'abbaye de Jumièges, d'un moulin sis à Évreux, sur l'Iton.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XIX, p. 60-63.
- b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 92, p. 242-244.

Texte établi d'après b

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. EGO RICARDUS, ROTBERTI ARCHIEPISCOPI FILIUS, notum cunctis sanctæ Dei æcclesie fidelibus presentibus atque futuris cupio fieri quod, adientes me Gemmeticensis loci venerabiles monachi, supplici devotione petierunt, quatinus unius molendini aream in meaditione pro meæ animæ remedio eis concederem. Quod ipse, sagaci consideratione cordis archano perlustrans, atque ad extremum ultimi iudicii examen perspiciens, adjudicavi eorum precibus annuere petitionemque adimplere, sciens de remuneratione bona operantium sic fore scriptum : « Quæ enim seminaverit homo in hoc seculo, hæc et metet in futuro », itemque Dominus in evngelio : « Facite, inquit, vobis amicos de mammona iniquitatis ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula ». His denique verbis instigatus consolatoriis, pro animæ meæ necnon Ricardi comitis atque Rotberti, filiique ejus Vuillelmi ac patris mei, scilicet Rotberti archiepiscopi, amminiculo, in inferiori parte civitatis Ebroicæ, supra flumen, quod vocatur Hyton, perhenne dedi Sancto Petro in Gemmetico unius molendini sessionem, inibique Deo famulantibus, tradidi possidendam, ut habeant, teneant et possideant, quandiu variis hic mundus volvetur successibus. Quod si quis, tartareis furiis diabolo incitante, quoquo (sic) conanime, a loco, quod absit, abstulerit, primo vindicem superni Dei iram incurrat, ac demum a cœtu sanctorum sejunctus Judæque traditoris consortium indeptus, cum diabolo perpetuis averni incendiis tradatur urendus, nisi satisfecerit. Qui, si desipuerit, centum solidos auri loco persolvens, a nefando nevo solvatur, alioquin his anathematis nexibus succumbat. Et ut hæc cuncta prelibata perpetim firma permaneant, dominicæ crucis mea manu signo suterfir mavi, aliisque quampluribus roboranda, tradidi. Signum Willelmi Nortmannorum ducis. + Signum Ricardi + comitis Ebroice civitatis. + Signum Hugonis episcopi ejusdem civitatis. + Signum Rodulphi fidelis ejusdem. Si+gnum Adsonis vicecomitis. Signum Herluini + Mulot. Signum + Heinrici prepositi. Acta sunt hæc, anno ab Incarnatione Domini, millesimo .XXX.mo.VIII.vo, indictione .VIta, Francorum rege Heinrico,

Rotberti regis filio, regni illius anno .VIII.vo. Quo tempore, monarchiam regni Nortmannorum Vuillelmus, Rotberti comitis filius, obtinebat.

EGO WILLELMUS, HUJUS CARTULE NOTARIUS, HORUM TESTIS EXISTENS, POSTERIS CONSCRIPTA RELINQUO.

Post hec autem, paucis transactis diebus, iterum me adeuntes monachi, petierunt ut eis unum hospitem ad molendinum pertinentem concederem. Quibus, ipse annuens libentissime, dono hujus ligni ad hanc cartulam dependentis quod petierant tribui.